


Jacobi Gulielmi  
46696 602

**HADRIANI IVNII**  
HORNANI MEDICI ANIMADVER-  
forū libri sex, omnigenæ lectionis thesau-  
ru. in quibus infiniti penè autorum loci  
coniguntur & declarantur, nunc  
primū & nati, & in lu-  
cem æditi.

EIVSDEM  
**DE COMA COMMENTARIUM**  
quo haud scio an quicquam extet in eo genere uel  
eruditius uel locupletius, siue historiarum  
cognitionem, siue lectionis multi-  
fariæ diuitias spectes.



**BASILEÆ 1556.**



Ad quem versum allusit alicubi Aristophanes, sic inquit:

*ἐνὶ δὶά τις τὰς γνάθους τῶν ἀλλοτρίων ἀλλ' ἢ βίς ἐκοίτη,*

*ὡσπέρ βρωπάλου, φωνῶν δὲ αὐτῶν ἔχει.* id est: Per Iouē

si quis illorum maxillas bis ter'ue depalmasset, quemadmodum Bupalii, obmutuissent facile. Meminit eius in Bupalum Iamborum & Zezes Isacius ibi, *ἡγεὶ ὁ ἰππώνναξ ἐν τῷ κατὰ βρωπάλου πρώτῳ ἰάμβου ἐβόησε.* Neq; illud silentio prætereundum est, Hipponacteum præconium, pro morsu amaro & felleo vsurpari apud Ciceronem: quandoquidem & in parentes suos Iambis debacchatum fuisse Leonidas supra à nobis nominatus restatur, quando de eo ita canit: *ὁ ἡγεὶ τοκίωρ' ἰοβαύξας.* id est: Qui in parētes etiam suos delatrauit.

De titulo libelli Senecæ, de morte Claudij  
inscripti. Cap. XVII.

**L**ibellus extat typis inuulgatus Annei Senecæ à Beato Rhenano viro in iuuanda re literaria sanè strenuo, primùm (nisi fallor) & inuentus & in lucem emissus, cui titulus est, Ludus de morte Claudij Cæsaris, festiuus quidem ille & salibus iocisq; refertus, in quo Claudium Cæs. in cælum refert per ludum. Eum ego libellum esse censeo, cui ab autore *Ἀποκολοκίωσις* nomen inditum scribit Dion Cocceius historiarum 58. uoce (vt equidem existimo) ad apotheosin alludente, qua constat ex Herodiano lib. 4. in deos referre solere imperatores fato functos. Verba Dionis sunt, *συνέθηκε μὲν γὰρ ἡγεὶ ὁ σθένεας σύγγραμμα, ἀποκολοκίωσις αὐτὸ, ὡσπέρ τινα ἀκατανά-*



*παδαυάτισιν, ὀνομάσας.* id est: Cōposuit enim & Seneca scriptum, quod Apocolocyntosin, veluti quandam inter indigetes referēdi rationem, inscripsit. Apocolocyntosin autem nuncupauit Seneca, eò quòd Claudius medicato boleto, quasi pharmaco purgatorio, quòd olim frequēs è colocyntide concinnabatur (quam agrestem cucurbitam vocare licet) periit. Infusum autem de lectabili cibo boletorum virus, Locustæ nobilis veneficæ ingenio paratum, Agrippinā Claudio porrexisse scribūt Plin. lib. 22. Corn. Tacitus lib. 12. Suetonius & Dion lib. antea dicto. quod attigit & Satyrographus Iuuenalis, inquiens:

*Boletus domino, sed qualem Claudius edit.*

& Martialis eo versu:

*Boletum qualem Claudius edit, edas.*

Huc pertinet & Neronis dictum memoratu nō indignum, dicentis: Boletos (fungorum id genus est) esse *βρώμα θεῶν*, id est, deorum cibum: velut innuentis, per boleti esum ad deos excessisse Claudium.

Qui fuerint interpretandorum somniorum primi artifices, quiq; de ea scientia scripserint.

Item onirocriticon incerti auctoris.

Cap. XVIII.

**T**Ametsi Cicero lib. de diuinat. 2. somniorū coniectores, quos *ὀνειροκρίτας* Græci vocant, ex leuissimo & indoctissimo hominum, imò sagarum, genere constare dicat, antiquissimum tamen eius peritæ inuentum, & inde laudem arrogasse suis hominibus gentiles le-